

SUPREMUM SIGNATURAE APOSTOLICAE TRIBUNAL

**Prot. n. 31490/00CG**

**N**

***Nullitatis matrimonii***

**(X – Y)**

***Querelae nullitatis adversus Decretum Turni rotalis coram [...] d. 18 ianuarii 2001 et Recusationis tum Iudicis Ponentis tum ob arctam conexionem Defensoris Vinculi***

**DECRETUM**

In causa de qua supra, lata a Tribunali Ecclesiastico Regionali X die 28 m. iulii a. 1999 sententia affirmativa «a norma del can. 1097, §2, ob errorem in qualitate personae directe et principaliter intenta a viro actore», negativa, autem, quoad cetera nullitatis matrimonii adducta capita, Apostolicum Rotae Romanae Tribunal, ad normam iuris aditum, die 27 m. iunii a. 2000, sententiam affirmativam ratam habuit.

Novo causae examine petito, Rev.mus Ponens die 20 m. decembris a. 2000 decisionis exsecutionem «pro nunc» suspendit atque, cl.mo partis atricis Patrono A excipiente, Turnus Rotalis die 18 m. ianuarii a. 2001 decretum Rev.mi Ponentis confirmavit.

Frustra idem cl.mus Patronus querelam nullitatis haud semel proposuit contra hanc Turni decisionem, et dein petiti ut eadem querela ad Turnum superiorem deferretur. Ad N.S.T. tandem aliquando, die scilicet 27 m. martii a. 2001, provocavit idem cl.mus Patronus ut, actis omnibus causae acquisitis, decretum Turni diei 18 m. ianuarii a. 2001 nullum declararetur utque H.S.T. vellet «iure suspectos habere Ponentem et V.D. et propterea ad normam can. 1624 iubere subrogationem diversi vel sequentis Turni».

Memoriali pro parte adversa a cl.mo Adv. B die 16 m. maii a. 2001 proposito, Rev.mus Promotor Iustitiae deputatus votum pro rei veritate die 20 m. septembris a. 2001 praebuit, dum Rev.mus Defensor Vinculi suum votum die 14 m. decembris a. 2002 exhibuit. Quibus cl.mus Adv. A respondit, subordinate instans «ut saltem Rev.mus Ponens et cum eo Rev.mus Def. Vinc. subrogetur ex legitima suspicione [...] vel in linea adhuc subordinata, H.S.T., collustratis actis illegitimis positis et omissis tum a Ponente tum a V.D. indicare vel commendare velit Exc.mo Decano R. Rotae emendationem folii Ponentiae cum substitutione Ponentis et Vinculi Defensoris».

Quibus omnibus praehabitis:

**SUPREMUM SIGNATURAE APOSTOLICAE TRIBUNAL**

Viso art. 19, §3 Normarum H.S.T. Specialium, quo competentia N.S.T. de nullitatis querela etiam circumscribitur adversus sententiam «interlocutoriam, a Sacra Rota quomodocumque emissam, dummodo tamen gravamen inde sit oriturum irreparabile per definitivam sententiam, aut ipsa sententia vim habeat definitivae», idest quae iudicium impedit vel ipsi iudicio aut alicui ipsius gradui finem imponit, quod attinet ad aliquam saltem partem in causa (cf. can. 1618);

Considerato quod decretum, quo sententiae, nullitatem matrimonii edicentis, exsecutio suspenditur, certe aequari nequit decreto vim sententiae definitivae habenti, nec decreto ex quo damnum irreparabile oritur;

Viso art. 122, 3º Const. Apost. *Pastor bonus* praescripto, quod competentiam N.S.T. de exceptionibus suspicionis contra Iudices Rotaes definit;

Considerato, autem, quod iudicium subrogatio ad normam can. 1624 haud est simpliciter ad instantiam partis; sed potius, praesertim in causa incidental, quae in sententiam definitivam sua natura haud influit, causa rationabilis adduci debet, ob quam pars «vereatur ne iudex, qui sententiam querela nullitatis impugnatam tulit, praeoccupatum animum habeat ideoque eum suspectum existimet»;

Perspecto quod, in casu, cl.mus partis actricis Patronus, iudicio H.S.T., cuius non est propositam nullitatis querelam cognoscere, nullam rationabilem suspicionis causam, fumo boni iuris instructam, adduxit, ad Rev.mum Ponentem subrogandum vel ad integrum Turnum sufficiendum;

Animadverso quod recusatio Rev.mi Defensoris Vinculi, etiam seposita quaestione de N.S.T. competentia, utcumque haud sustinetur cum nec habeantur causae, de quibus in can. 1448, nec ipsa Vinculi Tutoris recusatio sub can. 1624 praescripto praevideatur;

Attento quod H.S.T. stilo prorsus alienum evadat Exc.mo Decano Rotae Romanae commendationes vel indicationes praebere;

Re sedulo examini subiecta in Congressu coram Infrascripto Cardinali Praefecto die 18 m. februarii a. 2003 habito;

SUPREMUM SIGNATURAE APOSTOLICAE TRIBUNAL

**decrevit:**

Querelam nullitatis adversus decretum Rotale diei 18 m. ianuarii a. 2001 coram Hoc Supremo Tribunal proponi non posse;

Suspicionem, invocato canone 1624, adversus Turnum vel saltem Rev.mum Ponentem propositam reiciendam esse ac facto reici;

Recusationem seu suspicionem adversus Rev.mum Defensorem Vinculi propositam reiciendam esse ac facto reici.

Pro expensis retinetur cautio in H.S.T. arca deposita. Partes suo quaeque cl.mo Patrono congruum solvant honorarium.

Quod notificetur iis quorum interest ad omnes iuris effectus.

Datum Romae, e Sede Supremi Signaturae Apostolicae Tribunalis,  
die 18m. februarii 2003.

Marius F. Card. POMPEDDA, *Praefectus*

+ Franciscus X. SALERNO, *Secretarius*